

Appendix 3. Pastoral visit to Mantua, 1575–76

Archivio Storico Diocesano di Mantova, Visite Pastorali, vol. 1575–1576, visit of Angelo Peruzzi¹

[fol. 651r] Jesu Christi nomine invocato.

1.1 Die 21 februarii MDLXXVI, ego Franciscus Galvagnus archipresbiter ecclesiae Sanctorum Jacobi et Philippi, visitator subdelegatus a reverendissimo domino domino Angelo Perutio, episcopo Caesariensi, Bononiae suffraganeo et visitatore apostolico et delegato in civitate Mantuae, et eius diocesi, ut ex eius patentibus litteris aparere dignoscitur visitavi ecclesiam sub titulo sanctae Crucis, sitam in civitate Mantuae, in Curia Veteri serenissimi Guglielmi Gonzagae, ducis Mantuae et Montisferati, in qua porrectis prius humiliter praecibus Altissimo Domino. Inveni altare solum in capite ecclesiae, per directum ad eius fores situm sub fornice, seu volta lapidea, ubi adest icona cum immaginibus domini nostri Jesu Christi et sancti Joannis signantis, quando eum baptizabat in flumine Jordanis, quibus astant aliae multae angelorum immagini ab uno latere, ab alio autem immago eiusdem sancti Joannis in deserto, ad turbas concionantis, varie et docte depictis, et depicta que icona circumcirca pulchro ornamento, et deaurato decoratur cum tela eam operiente, quando opus est ad eam preservandam.

1.2 Altare autem lapideum erat cum sigillo alias consecratum, nunc vero exsacratum ut fractum enormiter per transversum, usque ad brachium cum dimidio. [fol. 651v] Ordinavi propterea firmari lapidem, supponendo murum latericum ob pulchritudinem lapidis satis ampli, et in loco sigilii, quod est in medio altaris adhuc non fracti, vel circa fieri fossam pro reponendo altare portatile longitudinis untiarum octo et latitudinis sex, involutum tela caerata et super altare predicto non fieri nec offerri sacrificium missae, nisi eo adaptato, vel saltem ibi superimposito altare portatili, et consecrato, super quo deinde liceat fieri et offerri sacrificium missae et non aliter vel eo totaliter amoto fieri lapideum totum et consecratum, vel in eo adaptari ut supra altare portatile. Reperiique altare cum pallio serico et tribus mappis sive tobaleis.

1.3 Ordinavi telam vel viridem vel turchinam superimponi ad conservandas tobaleas mundas et nitidas. Aderant praeterea in altare crux lignea circumcirca deaurata, et quatuor candelabra ex auricalcho. Aderat et casula serica coloris turchini, cum caeteris paramentis ad usum missae, videlicet alba, arnicta, stola, manipulo, cingulo et corporalibus et purificatoriis. Aderat calix cum patena argenteus et auratus. His tamen capellani serenissimi ducis non utiuntur in sacrificio missae, praesente serenissimo duce, sed aliis multis et pretiosis et diversorum colorum iuxta ritum Sanctae Ecclesiae secundum varietatem temporum.

1.4 Campanile inveni pulchrum cum campanis, sed vi fulminis de coelo deiect in parte superior in piramide deformatum, quod adaptari admodum est difficile, cum non inveniantur lapides similes, erat enim fabricatum [fol. 652r] lapidibus latericiis sed diversorum colorum, quae modo non inveniuntur, cum non sint in usu, stat tamen erectum multis et multis annis.

¹ From the transcription by Stefano l’Occaso, “Santa Croce in Corte: palazzo ducale,” in *Quattro chiese trasformate*, ed. Rosanna Golinelli Berto, Quaderni di San Lorenzo 3 (Mantua: Associazione Monumenti Domenicani, 2005), 27–28. Par. 1.12 transcribed by Licia Mari.

1.5 In ecclesia praedicta non celebratur per rectorem nisi in solemnitatibus sanctissimae Crucis, vel cum vocatus propter aliquos principes, vel magnatos foraenses in dicta Curia hospitantes, et mandato serenissimi ducis celebrat praesentibus dictis principibus et magnatis in dicta ecclesia pro commoditate dictorum forensium. In quibus solemnitatibus convenienter bini fratres mendicantes ex qualibet regula pro missis celebrandis et pro officio in primis vesperris, et secundis, horis, et missis cantandis, modo decem et duodecim ex una illarum religione, modo ex altera quibus per dictum serenissimum elargitur elemosina. Missale novum non inveni, sed iuxta necessitate deferri audivi. Coram tamen serenissimo duce capellani utuntur missale Sancte Barbarae, sed raro in dicta ecclesia celebrare facit.

1.6 At utroque latere altaris adsunt fixurae deturpantes locum altaris: ordinavi reaptari. Ecclesia est in aliis bene ornata pulchris picturis intus, et exterius rubea tota, et cum immaginibus in lapide sculptis, fores dictae ecclesiae unique ornatae ingenti expensa, cum cruce super fores in altum sculpta signante titulum ecclesiae, et a dextris sculptam Angeli imaginem, et a sinistris Mariae virginis in actu annuntiationis propexi, [fol. 652v] cum immagine Dei Patri subtus, et Spiritus Sancti supra, omnibus ex lapidibus incisis sculptis valde pretiosis, quae ostendunt ob earum magnitudinem et valorem, non fuisse opus rectorum pauperum, prout sunt, sed potentis principis et divitis. Fores custodiuntur et obserratae tenentur pessulis et clavibus fortissimis.

1.7 Huius ecclesiae rector est don Maximilianus de Ferrariis, uti institutus a reverendissimo tunc legiptimo episcopatus administratore ad presentationem tamen multum reverendi Capituli cathedralis mantuanae uti patroni. Cuius introitus sunt librarum XI, soldi unius, parvorum novem in totum.

1.8 Apud eandem ecclesiam visitavi oratorium secretum serenissimi ducis, in quo celebratur tamen in solemnitatibus sanctissimae Crucis, quod quidem est pulchrum et devotione plenum pulchris picturis ornatum, et doce fabricatum cum altare tamen ligneo, cum icona deaurata, cum immaginibus sanctorum, non tamen ornatum vedi, sed ut fertur, ornatur in dictis solemnitatibus omnibus necessariis, et honorifie. Ordinavi altare lapideum fieri, addito altare portatili, tela caerata involuto, consecrato, deinde in eo celebrari, que lapis sit tamen mensurae ordinatae.

1.9 Visitavii oratorium ipsius serenissimi ducis in dicta Curia Veteri apud salam magnam adhuc non depictum, [fol. 653r] cum de novo readaptatum, ornatum tamen aurei diversi coloris texturis spectabilibus circumcirca parietibus obstensis, ubi adest altare ligneum cum icona dessignantem perpictas immagines, quando dominus noster Jesus Christus pavit turbas quinque panibus ordaceis, et duobus piscibus, cum cruce et crucifixo argenteis, duobus candelabris argenteis, et aliis quatuor ex auricalcho, cum bacinella et phialis argenteis, et vase argenteo per aspersione aquae sanctae cum palliis diversi coloris, casulis seu planetis, et aliis ornamentis ad usum sacrificii missae iuxta ritum Sancta Matris Ecclesiae, et pro ut decet potentem principem religiosum, chatolicum et pium tenere cum calice quoque et patena argenteis ad usum sacrificii missae, cui nec desunt alii compleres, licet ibi non fuerint pressentes, cum corporalibus et purificatoriis omnibus custoditis per suum capellanum.

1.10 Ordinavi propterea altare fieri lapideum cum lapide consecrato, involuto tela caerata in ea inserto si placet sin autem superimposito portatili, longitudinis untiarum octo et latitudinis se,

amoveri vanos floccos ordinavi, praeparata tam inveni duo altaria consecranda hac de causea, portatilia videlicet, exhibuit se dictus serenissimus ut audivi lapidea altaria constructurum. In dicto oratio adest organum mirabilem fabricatum, longitudinis brachiorum quatuor vel circa, altitudinis vero duorum vel circa, in quo resonari auditur fere omne genus musicorum, valoris scutorum septingentorum et ultra, mirabile quidem visu et auditu.

1.11 [fol. 653v] In eadem Curia Veteri.

Visitavi oratorium celsitudinis dominae dominae ducissae custoditum per eius capellanum, et clavibus obserratum ubi circumcirca immagini multorum sanctorum, et altare ligneum cum icona, ubi pictae sunt pulchrae et doctae immagini gloriosae Virginis et domini nostri Iesu Christi infantis, sedentis in gremio dictae serenissimae Virginis, pulchre ornata circumcirca frigiis auratis, et cruce argentea aurata cum crucifijo cum candelabris duobus argenteis, et aliis duabus ex lapide alabastro, cum vase argenteo pro aspersione aquae sancta, cum bacinula et phialis argeenteis ad usum sacrificii missae.

1.12 Ordinavi altare fieri lapideum cum insertione lapidis consecrati involuti caerata tela longitudinis unciarum octo, et latitudinis sex. Aderant super altare tres tobaleae et aliae multae custodiebantur per capellanum pro dicto altaro. Aderat altare portatile, sed non mensurae ordinatae, attamen inveni magna praeparata hac de causa consecranda. Paramenta aderant multas, cuiusque coloris ad usum Missae secundum ritum sanctae Matris ecclesiae, etiam auro contexta, et praeciosa, et cum palliis similibus pulchris, et decentibus celsitudini tantae Ducissae. Aderat in Altari tabernaculum ligneum, et ab utroque latere quaedam capsulae, in quibus erant compositae multae reliquiae sanctorum cum inscriptione nominum sanctorum ita pulchrae, et decenter compositae argenteis ornamentis et auratis, ut nihil supra, inter quas aderat satis ampla, particula crucis D. N. Iesu Christi, quam claves stant apud capellanum praedictum, et tenentur optime custoditae, et in maxima veneratione. Aderant duo calices cum patenis argenteis, corporalia septem, nitida et nova, pulchra purificatoria multa, a quibus tolli floccos ordinavi. Aderant Missalia duo Romana nova, quibus capellanus utitur insequens caerimonias dicti novi Missalis. Telam viridem vel alterius coloris ordinavi supponendam mappis albis ad conservandam eorum pulchritudinem.